



# Disputatio theologica de illuminatione hominis

<https://hdl.handle.net/1874/340973>

DISPV TATIO THEOLOGICA;

DE

ILLUMINATIONE  
HOMINIS.

Q U A M

Favente Deo,

S U B P R A E S I D I O.

D. JOHANNIS HOORNBEECK, S.S.

Theolog. Doctor. ejusdemque facultatis in inclytâ Aca-  
dem. Ultraject. Profess. ac in Eccles. ibi-  
dem Pastoris vigilantiss.

*Publicè ventilandam proponit,*

JOHANNES JACOBUS HANFELD Palatinus.

*Ad diem 15 Decemb. horis locoque solitis.*



U L T R A J E C T I.

Ex Officina JOANNIS à W A E S B E R G E,

Anno M D C X L I X,

Illustrissimis, Nobilissimis, ac Præpotentibus,

D. D. PROVINCIAE VLTRAIECTINA  
Ordinibus : avita libertatis, ac Orthodoxæ Religionis  
defensoribus strenuissimis , eorumque Secretario fide-  
liſſimo.

U T E T

Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimisque,

D.D. PRÆTORI, CONSULIBVS, SCABINIS,  
Inclytæ Reip. Ultrajectina Senatoribus consultissimis,  
gravissimis: horumque Secretario dignissimo.

N E C N O N

Reverendis, Doctrina & Pietate Conſpi-  
cuis Viris,

OMNIBVS, & SINGVLIS ECCLESiarVM  
Orthodoxarum , qua in diœcesi Ultrajectina colligun-  
tur, Pastoribus vigilissimis, Dominis Mecenatibus,  
ac fautoribus, omni observantia colendis.

In gratitudinis debitæ testimonium hanc  
disputationem humillime

D. D. . D.

JOH. JACOBUS HANFELDT

Reſpond.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

De Illuminatione Hominis.

T H E S I S .

**D**rum ad hominis conversionem, cum primo loco illuminare, diximus. Heb. x. 32. Revocate vero in memoriam superiores dies, in quibus illuminati facti sunt. facti sunt Veteres crebro pro baptismi sacramento accipiunt, quod alibi ostendimus. Illuminatio duplex est, naturalis, quæ consistit in lumine intellectus naturali: de quo intelligere licet Io. 1. 9. supernaturalis, quæ per spiritum fit, hominem in sacris fidei mysteriis illuminantem. Vel ulterius si velimus, pro triplici gradu luminis, triplex consistatur, sensuālis per oculum; rationalis per intellectum; supernaturalis, per spiritum, illuminatio. Hæc ultima est, quâ homo à Deo, per ejus Spiritum, edocetur in sacris fidei & salutis mysteriis.

I I.

Subjectum ejus est intellectus. Ephes. 1. 18. Ipsa autem consistit in duobus; nam & objectiva est, & subjectiva, 1. proponit cognoscenda, & quæ, tum credere, tum agere oportet ad salutem: hæc autem quum nullibi habeantur quam in sacro Dei verbo, in eo eisque mysteriis Deus nos illuminare, & sanctificare dicitur. Psalm. cxix. 18. Ioann. xvii. 17. Deut. xxv. 15. Psalm. xxv. 4. 5. & xxviii. 11. neque simpliciter proponebit illa Deus, verum etiam explicat apertissime, ut eo melius capiantur, & teneantur. Luc. xxiv. 27. Act. viii. 31. & x. 33. Hæc Deus verbo suo operatur. Deinde (quemadmodum enim in Scholis non sufficit pueris librum proposuisse legendum, nisi & institutio accedit, & animæ imprimas literarum cognitionem, conjunctionem, & usum; ita quoque una cum libro S. Scripturæ objecto nobis, quem capere ex nobis æque minus possumus, ac infans non edoctus literas, Ies. xxix. 11. 12. necessario requiritur interna Spir. S. institutio, & illuminatio,

A 2

Act.

A&.viii.31.&xxvi.14.) nempe Deus cum verbo suo ulte-  
rius penetrat in animam hominis, & *Spiritus* sui effi-  
cacia creat ibi, in mediis tenebris (11Cor. iv. 6. 1Cor. iv. 5.  
Ioann. i. 5.) principium coeleste novi ac salutaris *luminis*, est,  
quasi spiritualem faciem Deus introducit in mentem, quâ in  
luce & calore quoque spirituali hominis animum constituit,  
Luc.xxiv.32. Atque luminis hujus vis in duobus occupata  
est. 1. ut dispellat tenebras mentis antiquas illas inveteratas, ob-  
firmatas, præter nativam, etiam *acquisitam* omnem tenebro-  
ritatem, errores, præjudicia, & quæcunque in hominis animo  
adversantur salutari veritati: nempe ut istis expulsis locus  
veritati, quo intret, & bene excipiat, detur. Tum, expor-  
rigit istud divinum lumen coelestes suos per omne Dei  
verbum radios, ac perlustrat ibi cuncta salutis & fidei nostræ  
mysteria, veritatem illorum, certitudinem, bonitatem, copiam, &  
simul necessitatem, Ioann.xvi.13. 1Cor.11.10. &c. Matth.  
Ephes.1.18. Psalm.cxxix.18.

### I I I.

Illuminationis istius *necessitas* (quippe necessariam esse con-  
stat. Psalm. xxv. 4. 5. & cxix. 18. Ioann. xvii. 17.) apparet, 1.  
siquidem statum nostrum ex nobis qualis ille est. & ante ac  
abique illuminante spiritus divini gratia, consideraverimus.  
Nempe 1. is omnino *cæsus*, non intelligens est. Rom. 111. II.  
Ephes. v. 8. præter *originalem*, & innatam, multam habens *ac-  
quisitam* tenebricitatem, atque ad ea contumaciam. Rom. xi. 8.  
Deinde, ad cognoscenda amplectendaque objecta spiritualia  
*impotentes*, ac inepti plane sumus. 1 Cor. 11. 4. 11Cor.111.5.  
Vnde quanta necessitas illuminationis emergat, inde quoque  
confirmatur, quod in ipsis adeo *fidelibus*, qui jam spiritu Dei  
illuminati & conversi sunt, tanta adhuc regnat *cæca stupidi-  
tas*, & ad capienda sacra detestandus torpor. Luc. xxiv. 25.  
Heb. v. 1. Gel. 111. 1. Disputatio hic oritur cum Socinianis,  
& Remonstrantibus: An ad bene & salutariter intelligendam  
S. Scripturam requiratur interna & singularis gratia ac illu-  
minatio Spiritus sancti? illis negantibus: de quo disputamus

alibi

Auctor & causa istius illuminationis solus Deus est, Psalm.  
cxix.8. Ies.1.4.5. per verbum. Act. xxvi.18. Ephes. iii.9. 11  
Tim. i.19. 11 Cor. iv.4. &c. & per Spiritum suum. Ioan. xvi.13.  
Ephes. i.17. Heb. vi.4. Etenim ab eo solo est veritas creden-  
da, & lumen interum, quo ea videri ac percipi potest. 1 Tim.  
iii.16. 1 Cor. xi.10. Sed hæc omnia à Christo nobis merita,  
& per eum conferuntur. Luc. i.79. Matth. iv.16. Ies. lxii.1.  
11 Tim. i. 10.

Illuminatio, uti cum institutione humana agitur in Scho-  
lis, habet gradus: alius alio excellit, & majori copiâ à Deo do-  
natur. 11 Cor. xii.7. 1 Cor. xii.3.4.5. Ephes. iv.13. Mani-  
festissimum discrimen est inter illuminationem plenam, salu-  
tarem, quæ fidelium est; & inter aliam partialem, quæ contingit  
etiam hypocritis, & reprobis: neque solis gradibus, sed totâ  
specie hæc distant, & longe alia est illius, ab hac, forma. Veram  
in suo genere quælibet gradus, uti jam indicatum, habet.

Haud parum difficultatis continet, assignare verum & spe-  
cificum utriusque illuminationis discrimen: quod tamen nos  
ita tentamus, & ex quadruplici quidem capite, eruere. 1. ex sub-  
jecto illuminationis: salvifica totam mentem afficit, ejus partem  
theoreticam, & practicam; non ita partialis illuminatio, quæ non  
peræque attingit & moverat practicum intellectus, ac theoretici-  
um. 1 Thess. v. 23. 11. in obiecto ejus: salvifica illuminatio du-  
cit mentem in omnem veritatem, præcipue salutarem, Ioann.  
xvi. 13. altera vero homines abutuntur ad cognoscenda lo-  
lum aliqua, quæ scientiæ laudem homini adferant: quare nec  
præcipua & salutaria, quamvis necessaria præ aliis, ideo magis  
curant. 11. in ipso affensu: quod discrimen, præterquam quod  
ex prioribus illis fluit, (dum enim non totum subiectum, &  
intellectus practicus & que illuminatur; neque in universum  
objectum, atque in id, quod præcipue nosse interest, nequit  
etiam

etiam plenus elici istâ illuminatione assensus) quoque in eo conspicuum est, quod in illuminatione illâ hypocritarum partiali assensus eorum , qui hic etiam aliqualis tribuatur lacræ veritati, non sit cum integrâ fide. Heb. i v. 2. ~~universitate~~ Credunt quidem aliquid, aliquatenus ; verum eorum quæ credere videntur , non habent eam fidem , quam debent, ut sic ea credant se habere, & non alter se salvani posse, quam solo isto arcto, & admirando modo, quo Deus per solum Christum, aduersus carnis, & mundi desideria, tum meritis ac propriæ fiducie opinionem , ac prejudicia, alvaturum se hominem in verbo patefacit. Hæc non ita, ut oportet, credunt vera esse, quotquot, quantumvis illuminati, à salute & Christo manent alieni. iv. *Effectu illuminationis:* qui in salvifica, & plenâ, est hominis conversio; in altera, non; quæ subsistit duntaxat in superficie quasi intellectus, nec ad totum hominem commutandum & sanctificandum penetrat. Ephes. i. 18. 19. Ioan. vi. 45. Vera illuminatio, vel illa gratia, quæ illuminat hominem talutariter, pergit usque in voluntatem, & totum hominem transformat: non quod satis habeat intellectum illuminasse, ad cuius determinationem naturaliter voluntas subsequitur; sed eadem gratia, quæ in intellectu illuminat, in voluntatem infert idem novæ vitæ principium; nam una opera sit totius hominis regeneratio , quâ voluntas apta redditur ad sequendum intellectum in supernaturalibus.

V I I.

Vbi proponit nobis Deus verbum suum , eaque objicit, in quibus instruere nos vult, officiu nostri est i. *accipere* illuminationem, & i i. *collatam* *forvere*. Illud ad objectivam, hoc ad subjectivam illuminationem attendere nos, atque obliterare oportet. Iel. i. 4. 5. 1 Sam. 111. 10. Act. x. 33. Sed i i i. *præcipue*, quo ostendimus & probamus tum nobis, tum aliis salutarem eam esse, ad *proxim* continuo & semper ea referenda est. Ioann. xiiii. 17. Matth. v. 19.

V I I I.

In hac illuminatione dum per verbum nos ducit Dei Sp̄itus,

ritus, ut principium cognitionis ōnis salutaris, & quævis nobis  
ibi pandit cœlestis regni arcana, fideique mysteria, Ephel. III.  
18. Matth. XI. 11. 11. in tria p̄cipue nos immittit cognoscen-  
da. I. Deum. II. nos iplos. III. modum, quo cum Deo nos ite-  
rum per Mediatorem, unimur. Ioan. XVI. 1. 3. Heb. XI. 6. II Cor.  
IV. 6. Hi articuli ante omnes sunt fundamentales. Deus, nove-  
rim me, nō verum te, est dictum Bernardi.

I. X.

*Dei cognitionem hic intelligimus, nō qua Deus cognoscit, sive  
sc̄, sive alia à se. I Sam. XI. 3. I Cor. XI. 10. Ioan. XXI. 17. Act. XV.  
18. sed passivè, qua cognoscitur: non ab Angelis, sive bonis, sive  
malis etiam, Marc. I. 24. sed ab homine. Hos. VI. 6.*

X.

Adscribitur homini in Scripturis triplex sapientia. I. car-  
nis. Rom. VIII. 1. 7. Ierem. IV. 22. quæ est mala. II. mundi, I Cor. I.  
19. & XI. 5. 6. & III. 19. Iac. III. 15. quæ extra Spiritum sanctifi-  
cationis non est bona. III. Spiritus, Dei, Christi. Ioan. VI. 45  
Ephel. IV. 24. Hæc est, qua Deum cognoscimus, quomodo se  
in verbo suo revelavit: naturam Dei, essentialiter, personaliter; &  
voluntatem ejus, p̄cipue in in Christo. I. Cor. XI. 20. & IV. 6.  
Col. II. 2. 3. Ioan. XIV. 7. 9. Rom. XI. 11. Phil. III. 8. II Cor. XI.  
14. Col. I. 9. 10. & denique omnem sacram veritatem, λαβεῖν  
τὸν ἐμπνευματικὸν αὐτούς, Heb. X. 26. I Tim. XI. 4. & II Tim. III. I.  
ad salutem. γνῶσαι τὸν αὐτούς, Luc. I. 77.

X. I.

Hujus divinæ notitiæ spectanda nobis est I. præstantia. II.  
necessitas. III. usus. IV. media acquirendæ. V. proba, & veritas; est  
enim aliqua, ψωδόνη, quam Apostolus appellat I Tim. VI.

X. II.

Quemadmodum bruta ratione; ita homines ipsos hac sapi-  
entia antecellimus. Dan. IV. 32. &c. Hos. XIV. 10. Cujus præstā-  
tiam Deus adeo ipse valde extollit, & deprædicat. Ier. IX. 24.  
Dicitur bona, Ps. CXIX. 66. II Chron. XXX. 22. τὸν ὑπεριχόν τὸν πόνον,  
Paulo. Phil. III. 8. Probatur ejus dignitas multifariam. I. in-  
de, quod cum ipsum in finem data nobis à Deo est Scriptura

Sa-

Sacra, ut cognitionem istam habeamus, **11 Tim. 1.11. 16. Col. 1.28.** Secundò, Deus eam singulariter promittit se largiturum, ut præcipuum donum sub Novo Testamento. **Iesa. xi. 9. Ier. xxxi. 34. Luc. 1. 77. Heb. viiiii. 11.** Tertiò, quando actu eam confert, singularis gratiæ prædicatur argumentum. **Math. xvi. 17. & xi. 27. & xiiii. 11. Ephes. 1. 17. 11 Cor. iv. 6. 1 Reg. iii. 9. & iv. 29. 11 Paral. ix. 23. Dan. i. 17. & ii. 20. Iac. i. 5.** Quartò, cognitionis hujus præstantia dupliciter spectatur, & in se, & comparete ad alia. **Psalm. xix. 9. 10. Iob. xxviii. 13. &c.** In se si consideretur, i. ejus objectum Deus, ac divina omnia. **Col. 1. 27. 11. subjectum, potissima hominis pars, scilicet ejus anima, & mens. 111. fructus in omni vita, atque in salutem æternam. Eccles. 11. 13.** Si quoque ad alia comparetur, & quæcunque præstantia in mundo sunt, immensis parafangis omnia antecedit. **Iob. xxviii. 14. Prov. iii. 10. & viii. 11. & xvi. 16.** Nam & mundana absque eâ nibil sunt, *οὐδέποτε*, quin obsunt. **Phil. iii. 8. 9.** illi vero absque mundanis preium suum nihilominus constat. Confer Eccles. ix. 16. v. Præterea ex contrarii, sive ignorantiae deformitate, illius decus & gloria ostendi quoque potest, **Eccles. ii. 13. Matth. xv. 14. Iohann. xvii. 3. Ephes. iv. 18. vi.** Postremo argumentum quoque præbet pro afferendâ cognitionis præstantiâ, quod *Diabolus* in tentatione primorum hominum hoc illis objecit, quo seduceret: eritis cognoscentes &c. **Genes. iii. 5.**

X I I.

Iam *necessitas* istius cognitionis appareat, ex Dei præcepto, & summa ejus per universum Dei verbum commédatione: sub præcepto enim cadit, adeo non est res arbitrii indifferentis, & elegans solum, sed ex præcepto Dei necessaria. **Hol. vi. 6. Rom. xvi. 19. Ephes. v. 15, Col. i. v. 5.** pro quâ impetranda, tum sibi, tum alius, tam sollicite pii Deum precantur. **Psalm. xxv. 4. 5. & cxix. 18. Epes. iii. 18. Phil. i. 9.** Vt contra, eam ob causam ignorantia adeo damnatur à Deo: neque enim solum prohibetur, **Psalm. xxxii. 4. Ephes. v. 15.** & accusatur, reprobatur in hominibus. **Gal. iii. 1. Luc. xxiv. 25. Psalm. lxxxii. 5. Ier.**

IV. 22. II Tim. IIII. 7. Heb. V. 12. sed damnatur quoq;. II Thes.  
I. 8. Hol. IV. 6. Chrysostomus, homil. XVI. in Ioann. Verum  
attendit quoq;. Etenim absurdum quod medicus, coriarius, rexator, &  
omnes generum opifices quique pro artis sua professione pugnet. Chri-  
stianus autem non possit ullam religionis sua asserte rationem. Atqui  
ille artes neglectae, ad pecuniam damnum referunt, hujus autem con-  
temptus anima detrimentum affert, & tamen tanta misera, tanta  
insania laboramus, ut in illas omnem euram, cogitationemque ad-  
hibeamus. Necessaria autem, & salutis nostra monumenta firmissi-  
ma pro nihilo ducimus.

X I I I.

Quæst. An ignorantia sit peccatum? Resp. Vulgus quidem  
non esse peccatum sibi persuadent; & Remonstrantes heresim  
etiam purum putum mētis errorem, qui citra peccatum vel cul-  
pam sit, esse statuunt; quas Tertullianus, lib. de Praescript. in  
initio: mortem aeternam, & majoris ignis ardorem in fine, ait. Sed ex  
dictis liquet, sub censum peccati etiam venire ignorantiam,  
nempe eorum, que scrire ad salutem, & vitam bene instituen-  
dam, oportet, quæque scienda homini maxime sunt. Hinc cum  
tanta emphasi, & vehementia in sacris usurpatur aliquando  
illud ~~concedere~~ vel quinquies uno in capite, ab Apostolo,  
I Cor. VI. 3. 9. 15. 16. 19. I Cor. IIII. 16. II Sam. XI. 26. II Chron.  
XIII. 5. Matth. XVI. 9. II Cor. XIII. 5. Heb. V. 12. Tum af-  
fectata & voluntaria ignorantia. ~~λαύθαρη ἀνθετο θεοντος~~. II Pet. III. 11.  
5. Prov. 1. 8. I Cor. XIV. 38. Iob. XXI. 14. Illa certe ignorantia  
non caret peccato, eque ac contraria agnitus virtus est; atque  
uti haec præcipitur, ita illa prohibetur, reprehenditur, & dam-  
natur; quod nō fieret, nisi pro peccato à Deo haberetur. Tum  
causalitatis intuitu, ut cognitio virtutum reliquarum, ita ig-  
norantia peccatorum origo est. Iob. XXI. 14. 15. Rom. III. 11.  
& I. 21. 22. 23. Ephe. IV. 17. 18. 19. Silius Ital. lib. IV. Prime  
seculorum causa mortalibus agris, Naturam nescire Dicim.

X I V.

Ex quibus etiam patet, quam miser status sit hominum eo-  
rum, qui in ignorantia ista vivunt: Ioann. XII. 35. qui ambulat

*in tenebris, nescit quis vellet.* Vide Ephes. 11. 12. & IV. 17. 18.  
11 Thel. 1. 8. in tenebris spiritualibus constituti, sub tenebrarum principe, à quo mentes eorum excæctatæ, in via, potestate, & regno tenebrarum, non nisi opera tenebrarum etiam produnt. Vt scriptura sic ista explicat, Ephes. v. 8. 11. 12. & IV. 18. 11 Cor. 17. 3. 4. Prov. LV. 19. Col. 1. 13.

x v.

*V*etus cognitionis est multus & necessarius, ad totam religionem, & omnes ejus virtutes, quarum illa choragium dicit, quæque nisi ab ea & post eam locum inveniunt. 1 Thel. 1v. 9. Rom. x. 14. 1 Tim. IV. 3. conjunguntur, *πολὺν τὸν περιγένετον τὸν ἀνθρακαν*. Psalm. CVII. 43. 11 Pet. 1. 3. Deinde ad salutem nostram tantum confert, ut non solum cā dicamur justificari, per metonymiam. Ies. 11. 11. sed & Christus in ea salutis nostræ summa constituat. Ioann. XVII. 3. Bernardus, serm. XXXVI. 1. in Cantic. *Quod si ignoras Deum, poteritne spes esse salutis, cum Deo ignorantia? ne hoc quidem: nec eam potes aut amare quod nescias, aut habere quod non amaveris.*

x v. r.

*Q*uibus mediis cognitio illa acquiri potest? nam & per media Deus eam suppeditat, Eccle. 1. 17. consideramus nunc non media per quæ illuminat, & suam peragit actionem Deus, quæ supra diximus esse, ejus verbum, atq; & spiritum; sed media offici nostri, quibus benedicendo Deus est efficax in nobis per sua illa media mentes nostras illuminando. Vbi ante oculis probe observandam, unde non habeatur illa cognitio, & sapientia: non ex nobis, aliis, aut toto mundo. Iob. XXVIII. 12. 14. 20. 23. Matth. XI. 27. sed à Deo, hic enim solus sapiens. 1 Sam. 17. 3. & sapientiam conferens. Dan. 1. 17. Iec. 1. 5. proprius à Christo, & per eum, nostrum unicum mediatorem. Matth. x. 27. Ioann. v. 20. Media subseruiunt hęc. 1. diligens verbi divini studium, in quo & per quod hic unice & plenissime erudimur, ad salutem. Psalm. CXIX. 11 Tim. III. 15. 17. Salvianus, lib. v. *Nos ergo tantum scripturas sacras pleras, inviolatas, integras babemus, quiccas vel in fonte suo bibimus, vel certe de purissimo*

imo fonte haec per ministerium iura translationis haurimus : non  
tantummodo bene legimus, atque utinam quam bene legimus tam bene  
impieremus. Sed vereor, quod qui non bene observamus, nec bene le-  
gimus : quia minor reatus est sancta non legere, quam letitia violare.  
Deinde, instantes ad Deum, pro isthac cognitione ab eo effla-  
gitanda, pree. Iac. 1. 3. 1 Reg. 111. 9. 12. Ephes. 1. 17. cuius pro-  
bat à plurimis mediis, pro impetrando hoc dono exempla  
quædam, ad Iac. 1. annotat, sed cum judicio, ut ejus om-  
nia, expendenda, Cornelius à Lapide. De Didymo Alex.  
cæco narrat Ruffinus, histor. lib. 11. cap. viii. In namque in parva  
estate, cum adhuc etiam prima literarum ignoraret elementa, luminibus  
orbatus, majore desiderio scientia veri luminis inflammatu: nec des-  
perationem cupita ad ipsiendi passus est, cum audisset scriptum in Es-  
uangelio: Quod apud homines impossibile est, possibile est apud Deum.  
Hac igitur divina pollicitatione confisus inde sinerter dominum depre-  
cabatur, non ut oculorum carnalium visum, sed ut illuminationem eos-  
dis acciperet. Miscebat tamen precibus studia ad laborem, & juges  
continuatasque vigilias, non ad legendum, sed ad audiendum adhibebat,  
ut quod alius nus, hoc illic conferret auditus. IIII. Timor Dei, qui  
hanc ob rationem sibi in Scriptura nobis commendatur,  
quod vera sapientia sit principium. Psalm. cx1. 9. Prov. 1. 7.  
Ioann. vii. 17. Quomodo, dices, timor Domini initium est  
sapientia, quum sapientia sit initium timoris Dei ? utrumque  
verum est, per mutuam virtutum harum iuxæxæcutor ; nemo  
probe timet Deum, nisi qui cum cognoscat : cognoscit quo-  
que nemo cum bene, nisi qui timet etiam : imo & utrumque  
vicissim alterius medium dici potest. Nō quidem timeri Deus  
potest ante omnem de eo cognitionem, sed nec quantum  
necessere est, & ad salutem facit, cognoscitur, nisi ab eo, qui ti-  
morem ejus adferat quoque. IV. Institutio, & exercitia quævis  
sacra, catechetica, alcetica omnia, quibus in veritatis sacrae  
ognitionemducimur. A Et. viiiii. 35. Ephes. iv. 20. 11. v. Deni-  
que conversatio familiaris eorum, qui dicuntur pleni spiritu,  
quiique in sacris præ nobis sunt instructiores. Rom. 1. 11. Qua  
ratione cordis cœcitas expugnari & curari possit, vide apud Ioh.

Abrenethy, lib. de Medicina anime, cap. II.

X V I I.

Adversus ista cognitionis media quia delinquit, & proterve ea contemnit ac proculat, graviter peccat, & multis se ac di-  
rissimis pœnis facit obnoxium. Nam ita Deus istum contem-  
tum vindicare novit. *I. auferit ab hominibus mediorum isto-  
rum copiam, lumen illud, & solem, quo tam fœde & ingrate  
abutuntur. Amos VIII. 11. 12. Apoc. XI. 5. Deinde, à se eos re-  
pudiatur. Hos. IV. 6. Act. XI. 11. 46. Tertio, justo suo judicio Deus  
eos excusat, & tenebris, quas tam pertinaciter adamaverunt,  
tradit. Iesa. VI. 9. 10. Matth. XIII. 11. 13. Ioann. XI. 1. 40. Quarro &  
obduratur. Rom. XI. 4. 5. Ilsa. VI. 10. Rom. XI. 8. Denique in ex-  
tremas & infernales pœnarum tenebras justâ conjicit ultione.  
Matth. XVII. 13. quare sedulo & sancte semper observanda  
illa, ex Psalm. XCV. 7. Apostoli admonitio, quæ est Heb. III. 7.  
8. &c.*

X V I I.

Quum autem præter veram & salutarem cognitionem, sit  
etiam aliqua falsa, quæ adulterina specie, & vana sapientię ja-  
statione decipit, *ἀλλοι δὲ φύσεις μηδέποτε γνῶντες, 1 Tim. VI. 20. 1 Cor.  
VIII. 1. 2.* quin & in Diabolis aliqua est Marc. I. 24. operæ  
premium erit discernere, per quæ signa vera notitia à falsa, &  
hypocritica distinguatur, & separetur. Iac. III. 13. 15. 17. que  
hæc imprecentiarum damus. *I.* vera cognitio semper habet  
junctam sibi fidem. *Ioann. X. 38. ἡναγκαῖται καὶ πιστεύειν.* 1 Tim. IV. 3.  
*1 Ioan. IV. 16. Εἰ οὐκ εἰρήνη πρὸς τὴν πίστιν οὐκέπι. Iesa. XLIII. 10.* Non  
ita cognitio falsa. *II.* Ut vera & salutaris illuminatio conju-  
cta semper est cum interiori animi conversione & sanctificati-  
one, ita notitia cum sanctitate; quam siveque deinceps habet &  
sperrit quævis alia notitia. *1 Cor. I. 30.* est notitia, quæ non so-  
lum habet lumen, sed quoq; calorem, quo incenditur homo,  
& ardet Deo plenus. *Luc. XXIV. 32.* Tertio, falsa & inanis  
notitia praxim despicit, & respuit. *Rom. XI. 18. 22. 22.* quam  
contraria vera cognitio semper urget & tecum trahit, ut eo-  
rum, quæcunque novit bona homo, sit idem simul observan-  
tissi-

tissimus. Ioan. xiiii. & viii. 55. Col. i. 6. Iac. iii. 17. Ioann. 11. 3. 4. 5. & iiii. 6. Iob. xxviii. 28. Ierem. xxii. 16. Bernardus: multi scientiam querunt, pauci conscientiam. Et ferm. xxxvi. in Cantic. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt ut sciatur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profecto non evadent subsannantem satyricum, & ei qui ejusmodi est, decantantem: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item qui scire volunt ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus: & turpis quesitus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut adficiant, & charitas est. Et item qui scire volunt ut adficiantur, & prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere ut benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant: Scienti bonum & non facienti, peccatum est ei. Ac si per similitudinem dicat: sumenti cibum & non digerenti, perniciosum est ei. Cicero, lib. ii. de fininib. ex Aristotele citat, ad duas res hominem esse natum, ad intelligentem & faciendum. Quarto, & sensum habet eorum quæ legit, & quæ novit, qui salutariter novit. Phil. i. 9. Ephes. i. 17. quale est dilerimen inter notitiam geographicam, quam unus habet ex propria experientia & locorum obseruantia, alter ex tabulis, quas securus itineris proprii nude speculatur; tale est inter notitiam veritatis divinæ salutarem, quæ cum spirituali sensu conjugata est, & alteram vanam, temporiam. v. vera notitia trahit secum reliquarum virtutum omnium compagem, & syrma. ii Pet. i. 4. 5. ii Cor. vi. 6. & viii. 7. Iac. iii. 13. Addit Robertus Boltonus, egregius, & si quis, divinus, inter Anglos Theologos, Practicus, lib. The Saints examination, pag. 44. & 225. hæc singularia, per quæ quoque notitia salutaris dignosci potest, quæ quorum prioribus non adjungamus? vi. salutaris notitia parit humilitatem, & quo quis plura sapit, eo de se humilius semper judicat. Iob. xlii. 5. 6. Gregorius, lib. xxiiii. Moral. cap. xvii. Vera scientia afficit, non extollit: nec superbientes quos repleverit, sed lamentantes facit. contraria est in vana quavis, & hypocritarum, quantumvis de mate-

riis sacris notitia. vii. Iuge desiderium & studium ulterioris  
temper profectus 1 Pet. 11.2.3, octavum signum notitia ejus,  
quæ salutaris sit, est, esse distillivum & communicativum sui ad alios,  
instar alicujus solis. Prov. x. 21. & xv. 7. nonum est, quod  
notitia hęc parit amorem. 1 Cor. viii. 1. & xii. 1.2.

Iam quoisque, & ad quos illuminationis gradus attingere  
queat qui fide modo temporaria imbutus est homo, hoc est,  
vana illa & hypocritica de Deo notitia, vide explicantem in  
sequentibus, jam nominatum Theologum, pag. 229. Et de  
quo & nos alibi agemus.

x i. x.

Proximo post Dei cognitionem loco sequitur cognitio nostrī ipsius, Jerem. 11.23. & 111.13 & xxxi. 19. Rom. vii. 18. 24.  
11 Cor. xiii. 5. Apoc. 111. 18. Cyprianus, lib. 1. epist. 111. Primus felicitatis gradus est, non delinquere: secundus, delicta cognoscere.  
Hęc quum consistat in cognitione nostrę miserię, in duobus  
occupatur, in peccatorum nostrorum cognitione, & originali, &  
actuali; deinde reatus, sive pœnatum; que iterum subjecti ra-  
tione distribuuntur in pœnas corporis, tum animi; & durationis  
respectu, in temporales, & aeternas. Cęcilius, apud Minutium, in  
Octavio, sic loquitur: Beati satis, satilque prudentes jure videamur,  
si secundum illud vetus sapientis oraculum, nosmet ipsos familiarius no-  
verimus.

x x.

Denique illuminamur à Deo in cognitionem Christi, Re-  
demtoris nostri, & per quem Deo, à quo per peccatum avul-  
sumus, reunimur: cognoscere hoc contingit ex Euangelio  
gratię; ubi Christi dicitimus & personam, & officia,  
quid fecerit, & passus pro nobis sit, atque porro facturus nobis  
sit, pro triplici ejus officio, Propheticō, sacerdotali, & Regio. 1 Cor.  
11.2. & 1. 3. o. Ioann. xvii. 3. Philipp. 111. 8. Col. 1. 18. 16. Atq;  
illa est illuminationis, quam in conversione nobis facit Deus,  
latitudo: subjectum ejus est, intellectus: terminus, notitia;  
tum Dei, tum nostri, & Christi Mediatoris: habetur autem ex  
verbo Dei, tenditque ad eternam animarum nostrarum salu-  
tem.

Co-

## Corollaria Respondentis.

1 **P**rincipium Jesuitæ Veronii, aliorumque illum sequentium (nihil in rebus fidei credendum eſſe, niſi totidem formalibus verbis in S. Scriptura contineatur expressum) Atheismum, Libertinismum, & Scepticismum inducit, adeoque detestandum est.

2 Uſum rationis in Theologia qui negant, pro Epicureis habemus.

3 Datur cognitio Dei naturalis.

4 Christus non eſt ubique ſecundum humnam naturam.

5 Qui Reformato-Catholicos à Calvinio ſuæ religionis originem trahere, atque adeo Calvinistas vocari poſſe aſſerunt, strenue calumniatur.

6 Petrum fuiffe Romæ probari non potest.

7 Purgatorium ut & ſatisfactiones humnae fabulæ ſunt, ſed ad purgandos loculos eſſicaciſſimæ.

8 The-

8 Theologiam nostram , qui dicunt , mere  
speculativam esse , calumniantur .

9 Homo ad bonum spirituale ex se præstan-  
dum nullas habet naturales vires .

10 Deus non est author mali .

11 Fideles finaliter & totaliter deficerè non  
possunt .

11 Petrus non fuit caput reliquorum A-  
postolorum , nec ecclesiæ Monarcha .

13 Providentia Dei versatur etiam circa  
peccata .

14 Solum Dei verbum veræ fidei perpetua  
norma est ac regula .

F I N I S.